

flatae sint: quae praeter exiguam consistentiam, nullam amplius crassitiam & firmitudinem admittunt aut recipiunt. Absunt enim partes terrestres, quibus niti, adhærescere, & fortiter permisceri tenuiores ad constituendam duriciem & compactionem debebant, quomodocunq; causas efficientes duriciem accommodaueris. Impossibile etiam esset, ex animantium pinguedinibus tantas colorum differentias oriri, quantas succini species esse deprehendimus. Neque igitur ex Phocis neque ex alijs pinguedinibus succinum generatur, sed aut ex terrae pinguiori succo, aut ex resinis arborum, vel herbarum gummate ortum habet.

Ex resinarum numero & classe succinum exterminare, haud factu facile aliquis dixerit, probaturus fortassis id ex colore, consistentia, & odore, quodq; flammam facile recipiat: sicut & Cornelius Tacitus vnà cum alijs